

in genealogijs istis difficultatem, oritur ex diuersis nominibus, quibus eadem persona solet exprimi, adeo ut in uno loco uno nomine, in diuerso loco altero nomine non raro quis nuncupetur.

Venetus ait Esau mortuum fuisse in Seir, at ma-

le citat hoc caput in eius rei confirmationem, Obit^{us} Esau cùm obitus illius in toto capite non habetur; quo anno quem ex testamento Patriarcharum c. 4. Salianus mundi, in annum mundi 2325, refert.

SECTIO IIII. DE IOSEPH, ET DESCENSV ISRAELIS IN AEGYPTVM.

PROBLEMA CCXLVIII.

1.
C A P V T
XXXVII
Versio-
nus 1. ex-
plicatur.



VR antequam deueniatur ad Ioseph, & Iehudam præmittitur, Ethabitauit Iahacob in Chanahan, vbi peregrinatus est pater eius? Nonne terra Chanahan dicitur terra fluens lat, & mel, & inde plena pietate, ac dulcedine, & voluptate supramundana, repræsentans eam, quæ sursum est, Ierusalem, quæ, teste Apostolo, est mater nostra? Hinc Izahac totus durus, & scelerus, ibi per- regnatus est. Iahacob autem lenis, habitauit, ac possedit eam; sed potissimum, quando Ioseph, qui Zadic, idest iustus dicitur, adoleuit. A mensura enim iusti, idest fontis iustitiae, ac virtutum, Ioseph traxit suum influxum, & erat tanquam baculus Iacob. Hinc Iahacob, benedicens ipsum Ioseph, dixit. Inde egressus est pastor, lapis Israël, lapis inquam, sustentaculi, & fundamenti.

1.
Versio-
nus 2. ex-
plicatur.

2.

3.



VR Scriptura, describens generationes Iahacob, cœpit à Ioseph? An quia ipse fuit fundamentum, lapis, & pastor illius familiæ? Pastor, inquam, nedum alimoniam in Aegypto præstata, sed præbens aquam viuam, & nutrimentum spiritus, cuius ille cibus in Aegypto præstitus figura fuit. Inde enim fuit Ioseph, vbi est aqua vitam præbens. An (vt Zohar docet) quia Ioseph erat primogenitus? Nam erat primogenitus Rachelis, omnibus mulieribus prælatæ; pro qua Iahacob seruiuit, & cui prius animum addixerat, quando concubuit cum Lea. Hinc iuxta intentionem Iahacob, primogenitus Rachelis, erat primogenitus eius. An quia (teste eodem Zohar) Ioseph fuit vinculum solis cum luna supramundana, vnde veniunt generationes inferiores? Propterea, & effigies Ioseph (vt ipse met Zohar ait) Iahacob effigiem penitus referebat.

OPTIME Moses Iacobi præmisit historiam, vt ad eius successorem transitum faceret; rapitur autem Venetus ab allegorijs, quas in terra Chanahan reperit; sed quæ de tanta Iaci duritate, déque influxibus, quos Ioseph attraxit, postea subiungit, non placent, vt pote fictitia, quæ tametsi bono forte sensu explicari possent, nimis coacta sunt, & magis Zoardicis aperte fauent. Quæ in fine habet de Ioseph, qui dicitur lapis, &c. confir-

matur, Ecclesiastici c. 49. Si quæ subiungit in sequenti problem. de Ioseph, vñlēt ad Christum allegorice transferre, placet admodum; Christus enim verè se præbuit aquam vitam, & panem, quæ spiritum nutrit. Quod verò refert, & approbare videtur, ex Zohar, de vinculo solis cum luna valde ridiculum est: & quod de effigie Ioseph, gratis assit.

1.
2.
3.
4.
5.



VR Iahacob adeò diligebat Ioseph? An (vt in textu dicitur) quia ipsum in senectute genuerat? An quia propriam effigiem magis expressam in eo cerneret, vt nuper dictum est? An quia mores habebat magis patri similes, quam alij filij? An quia sicut pro se, & familia Ioseph traxit alimentum corporeum, ita trahebat alimentum spiritus, & vitæ melioris, vt supradictum est? An quia ipse attrahebat influxum generationis, & multiplicationis? Et ideo ipse habuit duas tribus, quarum altera, scilicet Ephraim crevit valde. Hinc non sine causa mater vocavit eum Ioseph, quod est augmentum.

PROBLEMA CCL.